

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 2765

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2875

## C O D I C E S

2876

*Ponendo baculum fastu cessare doceris,  
Ne laesus laedas, virga remota docet.*

*Edit. affingere cordi. Cod. affigere. Edit. col. 1138. bis sua membra fovent. Cod. favent. Edit. Melchisedech Domino sacrificasse ferunt. Cod. Melchisedech fertur sacrificasse Deo. Edit. col. 1139. Ista sacramenta modo. Cod. ista sacra- da modo. Edit. nam Pontificum maledicta. Cod. nam reproba principis acta Edit. Pontificum vitulus et ipse luit. Cod. Principis hic vitulus et igne luit. Edit. col. 1140.*

*in not. petiit, quia clarificavit. Cod. petiit quia clarificari. Edit. Stratus bumi trinus. Cod. Iam ter bumi stratus. Edit. Anxietas habita et Supremo Patri victima grata fuit. Cod. Iam tunc anxietas et Et veteri ritu gratior una fuit. Edit. Mentis enim requie gratificamur ei. Cod. Mens etenim requie gratificatur ei. Edit. post v. Nam grates agere &c. omittit:*

*Glorificando deum quaerimus esse Dei.  
Qui cum dixisset, dormite, quiescite subdit;*

*Expendat haec Lector, et saltem in plurimis a Codice stabit. Secundo subjunctum est Carmen aliud hexametricum ἐμοτελευτον de Va-*

*nitare et Contemptu Mundi olim Bernardi Creditum. Vide Edit. Maur. Vol. II. T. 5. col. 891. Incipit:*

*Cartula nostra tibi portat dilecte salutes.  
Mira uidebis ibi, sed non hec dona refutes.  
Dulcia sunt anime solatia que tibi mando.  
Sed profunt minime, nisi serues hec operando &c.*

*Sunt versus CVI. et finiunt:*

*Accipiet uere, qui uult hec iussa tenere.*

DCCXCV.

<sup>21</sup> *Codex membraneus germ. Sec. XIV. Folior. 327. f. max. eleganter scriptus, multoque auro et picturis dives continet Versi- onem Rationalis Divinorum Officiorum Guilelmi Duranti Episcopi Mimatensis. Egit de eo jam Lambecius L. II. pag. 778. edit. Kol-*

*lar. col. 582. et luculenta quaedam ex anonymi Interpretis Praefatione loca de introductione Facultatis Theologicae in Academiam Vindobonensem, deque Linguarum latinae, germanicae et vindicae indole, propagatione, studio repraesentavit, ad quae lectorem remittimus, alia minutius persecuturi. Itaque litera dictae*

tae Praefationis initialis *Albertum* III. dictum *cum Trica* Austriae Ducem, cui Versio inscribitur, confidentem exhibet, quatuor Viris, forsitan pro Facultatum numero, libros illi tendentibus. Margines florulenti insignibus Provinciarum illi parentium onerati sunt, inter quae et *Zolleranum* comparet, quod *Albertus Beatricem Friderici* IV. Burggravii *Norimb.* filiam in secundo toro haberet. Quatuor picturae marginem inferiorem collustrantes primo *Urbanum* VI. P. M. *Alberti* legato Diploma de instituenda *Vindobonae* Facultate theologica tradentem, dein legatum Duci suo Diploma istud adferentem, mox Ducem ante Aulam academicam, scholasque a se extructas sedentem, demum Theologum jam de pulpito discipulos docentem adumbrant, ut adeo Codex iste egregium monumentum sit Universitatis scientiarum *Vindobonensis* ampliatae et ad statum meliorem provectae. Quo enim anno Diploma memoratum datum, Statutaque et Privilegia ejus, quae omnia apud *Lambec. L. cit. p. 88. edit. Kollar. Analektor. T. I. col. 59.* habes, ab *Alberto* Duce promulgata sunt, eodem Scriptor noster opus suum terminavit, teste Praefationis epiphonemate: *Hie endet sich di erste furred in daz teusche Racional geschriben dem hochgepornen fursten herzogen albrechte dem dritten ze Osterreich et cetera Anno domini Milleesimo tricentesimo LXXXiiii feria Quarta post domini-*

*cam palmarum.* Interpretis praefationem alia autoris ipsius excipit, cujus litera capitalis ipsum episcopi habitu sedentem et scribentem exhibet, margine inferiori utriusque *pag.* collationem septem Sacramentorum eleganti penicillo praeferente. Atque ita omnium VIII. Librorum frontes picturis decoratae sunt. Ante II. Dux cum Uxore S. Triadem genuflexus adorat. Ante III. eques et armatus in Sigilli forma cum hac perigraphie comparet: *Albertus dei gracia dux austrie stirie et karintie &c.* Ante IV. Conjux uterque Sacerdoti ad aras facienti adgeniculatur. Ille torquem *tricae* instar collo gestat, quam *tricam* cum Cygno in medio pictor etiam in margine lateris interioris expressit. Ante VII. demum rursus Principes duo arae adsternuntur, quos ex adjectis insignibus *Wilhelmum* Austr. cognomento *Aulicum*, ejusque uxorem *Johannam Duratiam* Caroli Hung. et Apuliae regis filiam credas. Codicem capitum Index claudit.

De Autore operis celeberrimi, quod ante Sec. XV. finem paene tricesies jam typis evulgatum fuit, adi *Alb. Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. T. II. Patav. 1754. p. 68. 4.* Versionis Gallicae exempla duo ex Regia Bibl. Paris. adfert *Montfaucon Bibl. Bibl. Mss. T. II. p. 785. et 789.* Germanicae nostrae, quae dialecti Austriae indagatori uberem messem polliceretur, meminit etiam *Clement Bibl. T. VII. p. 474.*